

sertim, cum casu quodam, et ex inadvertentia potuerit facile verbum illud excidere. Atque hæc sententia communis est inter Scholasticos in 4, ubi Palud., d. 5, quæst. 2, d. 22, quæst. 3, art. 2; Major, d. 5, quæst. unica, ad argum. contra 2 concl.; D. Anton., 3 p., tit. 28, c. 4; Soto in 4, d. 4, art. 2, et d. 25, quæst. 4, art. 3; Ledes., 4, p. 4, q. 8, art. 2; Sylvest., verb. Irregularitas, n. 44 et 27; Majol., lib. 4 de Irregul., c. 43, n. 4; et eodem modo interpretantur communiter prædictam decretalem ibi. Et significat etiam Navar., c. 22, n. 7, et c. 27, n. 242. Tandem adjungi potest conjectura. Quia magis est (ut ita dicam) alienus ab hujusmodi sacro ministerio, qui omnino caret ordine, quam qui est in inferiori ordine constitutus et superiori caret; ergo non est verisimile, hunc incurrere irregularitatem propter hoc peccatum, et non illum.

16. *Quis possit in hac irregularitate dispensare.* — Qui recipit baptismum a non habente potestatem aut jus, peccat. — Scio argumentum a simili, imo a minori, non esse efficax in his, quæ a jure positivo pendent, præsertim in materia irregularitatis; sed non in eo sensu utimur hoc argumento, sed supposita decisione illius textus, deservit plurimum illa ratio ad veram ejus intelligentiam. De hac vero irregularitate advertunt omnes auctores, solum Pontificem posse in ea dispensare, quoad novos ordines suscipiendos; Episcopum vero posse dispensare in usu susceptorum; quod videtur posse fundari in cap. 2 de Clerico non ordinato ministrante, ubi Panorm. et alii, c. 4 et 2; Major, lib. 3 de Irregularit., c. 43; Navarr., c. 27, n. 242, et alii supra citati. Ultimo ex dictis in hac sectione intelligitur, peccare baptizatum (sub quo comprehendendo eos, qui infantem ad baptismum offerunt) recipiendo baptismum ab eo, qui non habet jus, seu potestatem ministrandi illum, quia, et quantum in ipso est, invertit debitam subordinationem, et hierarchicum ordinem Ecclesiæ, et quia cooperatur peccato alterius. Et ideo necesse est, ut voluntarie id faciat; nam si necessitate compulsus id efficiat, quamvis ex malitia alterius in tali necessitate constituatur, non peccabit recipiendo baptismum, quia tunc non cooperatur, sed permittit alterum in se operari, ut, si alter minetur mortem, nisi se permittat baptizari, vel si laicus vi detineat sacerdotem, et homo alias baptismo indigeat, et in casibus similibus, in quibus semper est adhibenda illa generalis

exceptio, dummodo id non cedat in injuriam fidei et contemptum religionis christianæ; nam tunc potius subeundum est martyrium quod vicem baptismi supplebit.

SECTIO V.

Quibus modis peccari possit indigne ministrando baptismum.

1. Hic titulus adeo generalis est, ut possit etiam comprehendere quæstionem, præcedente sectione tractatam. Tamen ita illum proponimus, ut multa et varia, quæ breviter expediri possunt, comprehendamus; et intelligendus est de ministro, qui per se loquendo potest licite baptizare; et ita excludimus proximè præcedentem quæstionem; nam etiam supposita facultate et jure dandi sacramentum, oportet servare debitum et convenientem modum, ut recte et sine peccato fiat.

2. *Quibus ex capitibus oriri possit defectus in administrando baptismo.* — Obstetrix qua obligatione teneatur. — Tria ergo, vel quatuor sunt principalia capita, ex quibus oriri potest defectus, seu culpa in administratione hujus sacramenti. Primum ac præcipuum est substantia ipsius sacramenti; erit enim grave peccatum in hoc ministerio aliquid prætermittere, quod sit de illius substantia, ut patet ex generali doctrina supra tradita de sacramentis; hoc autem accidere potest, vel ex parte materiæ non adhibendo naturalem aquam, vel non in sufficiente quantitate; aut ex parte formæ, non proferendo omnia verba necessaria; aut ex parte ministri, non habendo necessariam intentionem; aut ex parte personæ baptizandæ, quod solum potest contingere, vel ex defectu consensus, et voluntatis ejus, cui baptismus datur, si adultus sit, vel si baptismus detur ei, qui jam baptizatus est, de quo genere peccati dicemus sect. seq. Atque ad hoc caput spectat, ut minister in his præsertim, quæ sunt de substantia, adhibeat ea, quæ sunt certa, quoad possit, prætermittis dubiis, etiamsi probabilia sint, cujus rei plura exempla in superioribus visa sunt; et ratio etiam est clara, quia contra omnem rectam rationem est exponere se periculo nihil faciendi, absque necessitate vel casu urgente. Quæ ratio in omnibus sacramentis est urgentissima, in hoc autem maxime, propter ejus necessitatem. Rursus ex hoc principio inferunt aliqui teneri foeminas, quæ ex officio sunt obstetrices, ad scienda ea, quæ

sunt substantialia ad baptismum, scilicet materiam et formam, saltem vernacula lingua. Ita sentit Navar., cap. 22, n. 6, citans Palud. in 4, dist. 5, quæst. 2, n. 7, ubi ait, non omnes teneri ad sciendam formam baptismi, nisi quibus incumbit ex officio, ut curatus, inquit, et obstetrix, cui sæpe incumbit; quæ verba transcripsit etiam Anton., 3 part., cap. 13, § 4. Quæ opinio est pia et consulenda; tamen in rigore non video, quale sit hoc præceptum; quia non est positivum Ecclesiasticum, ut constat. Nullibi enim scriptum reperitur. Neque etiam est naturale, quia non pertinet ad justitiam, quia ex vi sui muneris non obligatur obstetrix ad curandam salutem animæ pueri, sed solum ad recte cooperandum nativitati corporali ejus; neque etiam pertinet ad charitatem, quia licet supposita necessitate pueri, teneatur quilibet illum baptizare, si potest, ut recte prædicti auctores, et omnes docent, non tamen tenetur unusquisque esse paratus aut instructus ad dandum baptismum, si fortasse inveniatur proximum in necessitate constitutum; ergo neque charitas obligat obstetricem ad hujusmodi præparationem, seu dispositionem, quia, licet fortasse sæpius in eo munere accidat hujusmodi necessitas, tamen rarissime evenit, vel non adesse aliquem alium, a quo possit infans baptizari, vel necessitatem esse tantam, ut non possit cito vocari, et expectari; ergo propter rarissimum eventum non obligat charitas ad prædictam scientiam.

3. *Quomodo peccetur in conferendo baptismo ex defectu dispositionis.* — Secundum caput præcipuum est debita dispositio ejus qui ministrat, et ejus, cui baptismus datur. Utrumque enim cadit sub ministri obligationem, quamvis ea obligatio quodammodo reciproca sit; primo enim, qui hoc sacramentum ritu solemni ministrat in peccato mortali, graviter peccat; secus vero si absque solemnitate id faciat in casu necessitatis, ut latius dictum est supra in materia de sacramentis in genere. Secundo, peccat mortaliter, qui ab Ecclesia interdictus per excommunicationem vel aliam censuram, baptizat sine necessitate urgente, quia et agit contra ecclesiasticam censuram, et consequenter indigne sacramentum tractat. Unde utroque titulo peccat, si baptismum solemniter ministret; imo si sit clericus, irregularis manebit, ex cap. 4 de Re judic., cap. 4, cum aliis, de Sent. excom., in 6. Si autem sine solemnitate baptizet, non manebit irregularis, quia proprie non exercet

actum, ad quem sit simpliciter necessarius aliquis ordo, ut notavit Covarr. cum aliis in Clem. Si furiosus, part. 4, § 4, n. 4, et a simili confirmari potest ex dictis præcedente sectione; si tamen sine necessitate id faciat, graviter peccabit, saltem ratione censuræ; ob necessitatem vero excusari potest, si non sit alius, qui ministret, quia Ecclesiæ prohibitio, cum sit rationi consentanea, non habet locum in simili casu. De qua re videnda sunt dicta supra de sacramentis in genere; et D. Thom., quæst. 64, art. 6; Navar., cum aliis, quos refert in Summa, cap. 25, n. 72. Tertio tenetur, qui ministrat baptismum, non dare illum nisi homini convenienter disposito, quia debet sancta sancte tractare, et non dare sanctum canibus. Quæ obligatio maxime locum habet respectu adultorum; in quibus tria, vel quatuor observare debet, scilicet, quod voluntarie, absque metu, vel coactione baptizari velint; quod sint sufficienter instructi in rebus fidei et morum; quod sufficientia signa poenitentiae dederint. Et huc spectat, quod non sint in morali periculo, vel proxima occasione recedendi a fide. Et hæc ultima ratio habet suo modo robur in infantibus filiis infidelium sub eorum cura existentibus. Præter aliam obligationem, quæ oritur ex jure paterno, ob quam baptizandi non sunt, parentibus invitis; de qua re satis in superioribus tractatum est. Quarto dixi, hanc obligationem quodammodo esse reciprocam, quia etiam is, qui baptizatur, tenetur per se loquendo non accipere baptismum ab indigno ministro, si facile habere potest alium, qui digne ministret; quod explicandum est juxta doctrinam supra traditam, tractando de sacramentis in genere.

4. *Quomodo peccetur ex defectu debiti modi.* — Tertium caput est modus administrandi hoc sacramentum, qui etiam cadit sub præceptum; sub modo autem comprehendimus observationem omnium rituum, quos Ecclesia peculiari præcepto servandos statuit, aut quos recepta consuetudine observat in solemni hujus sacramenti administratione, ut colligi potest ex Concil. Trident., sess. 7, can. 43 de Sacramentis in genere, et ex doctrina supra tradita de sacramentalibus in communi, et ex his, quæ diximus de ritu hujus sacramenti, satis constat fundamentum, et ratio hujus obligationis; nam illi ritus sunt gravissimi, et antiquissimi, atque ad reverentiam sacramento conciliandam maxime necessarii, et ideo graviter peccaret,

qui illos prætermittet, sicut qui sine vestibus sacris celebraret; potest autem hoc peccatum esse leve ex parvitate materiæ, quia hæc obligatio, præsertim gravis, non est extendenda ad singulas, etiam leves, cæremonias; intelligendum etiam hoc est extra casum necessitatis, in quo omnes cæremoniæ prætermitti possunt et debent, ut per sacramentum necessitati proximi subveniatur.

SECTIO VI.

Utrum ob peccatum iterandi baptismum irregularitatis pœna incurratur.

1. *Qui rebaptizat, et adultus, qui consentit se rebaptizari, gravissime peccant.* — Quando licet baptizare sub conditione. — Constat, iterationem baptismi tam ex parte dantis, quam voluntarie recipientis, esse gravissimum peccatum, ut ex variis sententiis Pontificum, Conciliorum, et Patrum traditur, de Consecrat., dist. 4, cap. Non licet, 2, et seqq. Ratio vero a priori tacta est sect. præced., quia hoc est contra substantiam sacramenti, quod fieri tentatur in subjecto incapaci. Unde fit, ut etiam sit contra institutionem Christi, et contra reverentiam debitam baptismi prius suscepto; significatur enim fuisse inefficacem et insufficientem. Ac denique est contra significationem hujus sacramenti, per quod Christo commorimur et consepelimur, qui semel tantum pro nobis mortuus est, et sepultus; et ideo, qui baptismum iterat, quantum in se est, iterum Christum crucifigit, ut indicatur ad Hebr. 6. Est autem circa hoc advertendum, tunc proprie hoc præceptum violari, quando constat, hominem esse baptizatum sufficienti ritu externo, saltem quoad substantiam sacramenti, et nulla est probabilis ratio dubitandi de intentione debita ministri; nam hæc semper præsumitur sufficiens, nisi aliunde sit probabilis suspicionis ratio. Cum autem ita de baptismi constat, non solum erit peccatum absolute iterum baptizare, sed etiam sub conditione, tum quia etiam hoc modo fit magna irreverentia sacramento; tum etiam quia illa conditio in tali casu est impertinens, et moraliter haberi potest pro non adjecta. Quid enim interest addere conditionem, quando jam constat, quid in re ipsa factum sit? imo videtur fere impossibile, tunc haberi actualem intentionem sub tali conditione, prout explicatur hoc verbo indicativo: Intendo te baptizare, si non es

baptizatus; sed solum de futuro conditionali, prout explicatur per hoc verbum subjunctivum: Si non esses baptizatus, intenderem te baptizare; quia stante iudicio, et credulitate, quod aliquis sit baptizatus, vix potest prior modus intentionis mente concipi, sub illa conditione, Si non es baptizatus; nisi fortasse, quatenus res illa potest aliqua ratione existimari dubia, quod est etiam contra prudentiam, quando morali modo de re constat. Secundo est advertendum, in casu dubii, quando sunt aliqua indicia ad suspicandum puerum esse baptizatum, non tamen sufficientia ad ferendum absolutum aut definitum iudicium, tunc licitum esse talem puerum baptizare, ut traditur de Consecr., dist. 4, cap. Parvulos, et seqq., ex Leone Papa, epist. 3, cap. 1; epist. 92, cap. 16; et ex Greg. III, epist. 4; et Concil. Carthag. V, cap. 6. Et ratio est clara, quia non est exponendus homo periculo salutis æternæ; et alioqui nulla fit injuria sacramento, cum non conferatur animo iterandi baptismum; et ideo ad tollendum omnia pericula, addenda est tunc conditio, Si non es baptizatus, ut præcipitur in cap. 2, Extra, de Baptismo.

2. De quo præcepto, et quando baptismus debeat censi moraliter dubius, et quid sufficiat ad moralem certitudinem in hac materia, satis dictum est supra, disp. 22, sect. 2; solum addendum hic est, antequam in hujusmodi casu iterum detur baptismus, adhibendam esse moralem diligentiam ad tollendum dubium; nam si statim absque ullo examine detur baptismus, valde temere fit, et contra reverentiam sacramento debitam, ut recte annotavit Soto in 4, dist. 3, art. 9, reprehendens contrariam consuetudinem aliquorum parochorum, qui majori reprehensione digni sunt, si, quem constat esse privatim domi baptizatum, iterum sub conditione baptizant; sed in eo casu debent cæremonias, et ritus baptismi supplere, et ea, quæ sunt substantialia, omittere. Ultimo est advertendum, hoc præceptum non minus obligare baptizatum, quam baptizantem; peccat enim graviter, qui, cum sit baptizatus, eique hoc sufficienter constet, iterum se baptizari consentit, etiam si metu mortis id faciat, quia id est intrinsece malum, multo magis quam indigne suscipere sacramentum. Unde etiam peccabunt parentes, vel quicumque alii, qui puerum jam baptizatum, iterum ad baptismum offerunt, eumve baptizari procurant, quia cooperantur actui intrinsece malo; admonere ergo debent

de baptismo jam suscepto, solumque ad supplenda accidentalia, quæ desunt, puerum offerre.

3. Hactenus dictum est de culpa, quæ in baptismo iterando committitur; sequitur, ut dicamus de pœna a jure imposita pro hujusmodi culpa. Duabus autem personis impositæ sunt hujusmodi pœnæ, scilicet baptizanti, et baptizato, quando in ea ætate est, ut consentiendo iterationi baptismi delinquere possit; de aliis autem personis nulla mentio in jure fit; fortasse, quia licet interdum possint cooperari huic delicto, tamen valde per accidens et remote concurrunt. Igitur jure civili, tam rebaptizanti, quam culpa sua rebaptizato pœna capitis imponitur, in l. 2, C. Ne sanctum baptisma iteretur; sed hæc pœna nihil ad nos spectat. Dicendum ergo tantum est de pœna ecclesiastica, et prius de rebaptizante, postea de rebaptizato.

4. *Rebaptizans nullam incurrit censuram.* — Circa primum sic legitur in l. 2, C. Ne sanctum baptisma iteretur: *Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita usurpatione geminaverit, sacerdotio indignum esse censemus;* tamen nec jure civili potuit aliqua hujusmodi pœna introduci, neque illis verbis pœna aliqua injungitur, sed criminis acerbitas exaggeratur. Præterea in can. 47 Apost. quem falso citat ex Concil. Lugd. Burchardus, lib. 4 sui decreti, cap. 56, deponi jubetur Episcopus, aut presbyter, qui denuo baptizat eum, qui jam erat vere baptizatus. Sed ibi nulla pœna imponitur ipso facto incurrenda, et illa depositionis pœna nunc non videtur esse in usu. Rursus Felix III, epist. 1, c. 2, et habetur in cap. Eos quos, de Consecr., d. 4, varias imponit pœnas Episcopis, presbyteris, et diaconibus, qui sacri baptismatis jacturam fecerint, scilicet, quod usque ad finem vitæ in pœnitentia jaceant, et orationi fidelium non intersint, et solum in fine vitæ communicentur communionem laica; sed etiam hæc pœnæ non sunt in usu, et præterea illa verba, *Unici salutarisque lavacri fecisse jacturam,* non significant peccatum rebaptizandi, sed consentiendi in iteratam baptismi receptionem, ut ex usu illorum verborum, et ex reliqua parte illius textus, magisque ex ipsa originali epist. constat; nullam ergo excommunicationis vel alterius censuræ pœnam invenio esse jure impositam, quæ ratione hujus peccati ipso facto incurratur; solum superest dicendum de pœna irregularitatis.

5. Et ratio dubitandi ex una parte est, quia

omnes doctores docent, manere irregularem eum, qui rebaptizando peccat, ut late tradunt Theologi in 4, dist. 5 et 6; Soto, d. 3, art. 9; Anton., 3 part., tit. 14, cap. 13, § 12, et tit. 28, cap. 6, § 3; Navar., cap. 27, n. 246; alii Summistæ, verb. Irregularitas; et Covarr., Clem. Si furiosus, part. 1, in prin., n. 8. In contrarium autem est, quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus a jure expressis; sed de hac irregularitate nullum habemus expressum jus; omnes enim auctores fundant illam in cap. 2 Extra, de Apostatis; reliqua enim jura, quæ afferri solent, omnino sunt extra propositum, qualia sunt, quæ ex civili, et canonico jure adduximus; sed neque in cap. illo videtur satis fundata hæc irregularitas; nam in priori parte illius textus ante versiculum: Quia ergo, non est sermo de rebaptizante, sed de rebaptizato; in posteriori autem parte non est sermo de ipso baptizante, sed de acolyto, qui ei ministravit; quod patet aperte ex textu originali in Concil. Lateran. sub Alex. III., part. 26, cap. 1, ubi sic dicitur: *Astitit autem huic sacrilegio adolescens acolytus, frater illius, in quo baptismus asseritur iteratus, et ministerium exhibuit in respondendo presbytero baptizanti, et cooperator extitit rei nefandæ;* et de hoc acolyto postea dicitur, non esse ad superiores ordines promovendum, si publicum sit crimen; si vero occultum est, promoveri posse; de ipso autem baptizante nihil ibi quæritur, aut respondetur. Nec videtur satisfieri, si quis dicat, a fortiori sumi posse argumentum, nam si is, qui solum cooperatur illi ministerio, ea pœna punitur, multo magis, qui ipsum substantiale ministerium exhibet; quia, ut sæpe diximus, in his, quæ pendent ex jure positivo, argumentum a simili, vel a fortiori, non est efficax; nam, licet majus peccatum sit operari rebaptizationem, quam cooperari illi, potuit tamen propter cooperationem imponi hæc pœna, et non propter rebaptizationem, vel quia supponitur gravior pœna imponenda pro majori crimine, vel ob alias causas; denique hæc ratio maxime procedit de irregularitate, quia in jure expressum est, non incurri, nisi in casibus a jure expressis, cap. Is qui, de Sent. excom., in 6.

6. *Qui rebaptizat incurrit irregularitatem.* — Nihilominus communis sententia certa esse debet, quam ipse usus et consuetudo, quæ est optima legum interpretis, satis confirmat, et textum illum declarat. Quæ interpretatio, et per sese est rationi consentanea, et verbis

ipsius Pontificis; non enim iudicavit, illum acolytum dignum illa pœna propter cooperationem præcise, ut cooperatio est, nec propter solum ministerium accidentale (ut ita dicam), sed absolute propter nefandum ministerium, quod multo magis convenit rebaptizanti, quam ministranti. Denique argumentum a fortiori in huiusmodi casu censendum est efficax, quia proprie non est in rebus, vel actionibus distinctis, sed in eadem actione comparando accessorium ad principale.

7. *Dubium primum.* — *Hæc irregularitas solum impedit ascensum ad superiores ordines.* — Sed ad explicandam hanc pœnam inquiri potest primo, an hæc irregularitas impediatur solum ascensum ad superiores ordines, vel etiam usum susceptorum; auctores enim nihil aperte declarant, sed simpliciter dicunt, propter hoc crimen irregularitatem incurri; irregularitas autem absolute et simpliciter dicta utrumque impedimentum afferre videtur. Et Ledesma in 4, 4 part., q. 7, art. 9, dub. 2, distincte affirmat, quod si est promotus, non potest exercere officium suum, quod non aliter probat, nisi citando prædictum cap. 2 de Apostatis. Sed non videtur satis considerasse textum illum; nam ex illo potius videtur sumi argumentum efficax in contrarium, quia in prædicto textu solum prohibetur, ne ad superiores ordines promoveatur, neque alia fit irregularitatis mentio. Adde, aliquas esse irregularitates, quæ impediunt acceptionem ordinum, et non usum acceptorum, ut notavit Navarr., cap. 27, n. 164. Accedit, quod pœnæ restringendæ sunt, ad præcisa verba legis limitandæ; sed in verbis huius legis tantum prohibetur ascensus ad superiores ordines; ergo non est hæc talis pœna ulterius extendenda. Certe hæc rationes videntur sufficienter hanc partem persuadere. Unde, quod attinet ad acolytum ministrantem rebaptizanti, de quo tantum est expressus sermo in illo textu, non dubito, quin in eo, prædicto modo sit intelligenda hæc pœna, ut verba legis præ se ferunt, præsertim cum ibi addatur, propter illam culpam non multum fuisse plectendum; ex his autem eisdem verbis videtur fieri verisimile, aliter censendum esse de ipso rebaptizante, quia ille majori dignus est pœna; nihilominus tamen, quia hæc major pœna, qua dignus est, non est in jure expressa, non censeo impedimentum hoc etiam respectu illius esse amplificandum ultra id, quod verba legis requirunt.

8. *Dubium secundum.* — *Incurritur ipso facto.* — Quin potius de hac ipsa pœna potest ulterius dubitari, an incurritur ipso facto, vel solum post iudicis sententiam et declarationem; et est ratio dubii, quia in eo textu nullum est verbum, quo significetur hoc impedimentum contrahi ipso facto; nam ante illam Pontificis decisionem non incurrebatur ipsa irregularitas ipso facto per huiusmodi peccatum, quia non erat jure expressa; et ideo in eo textu non interrogatur Pontifex, quam pœnam vel inhabilitatem ille acolytus incurrisset, sed qua pœna puniendus esset. Respondet autem Alexand. III, quod, quamvis non multum videatur propterea plectendus, ad superiores tamen ordines ascendere non valebit; ergo donec a superiori plectatur rebaptizans hac pœna, non incurrit illam; neque enim satisfacit, si quis dicat pœnam hanc, cum solum consistat in privatione, et quadam inhabilitate, ipso facto contrahi; nam, licet verum sit, huiusmodi pœnarum genus facilius et frequentius ipso facto incurri, nihilominus necesse non est, ut semper eo modo contrahatur, nisi id fuerit lege expressum; ubi autem non ita fuerit, potius videtur generalis regula servanda, quod pœnæ restringendæ sunt, quodque nemo obligatur ad pœnam, donec iudicetur. His tamen non obstantibus, dicendum est, rebaptizantem ipso facto fieri irregularem, saltem quoad impedimentum ascendendi ad superiores ordines. Ita enim auctores omnes textum illum interpretantur, et ita est in usu, quæ res maximi est momenti in huiusmodi materiis; neque major est huius rei ratio exigenda, quia tota pendet ex lege humana, quæ nullo modo melius, quam recepta consuetudine declaratur. Et verba textus ad hunc sensum possunt facile induci et accommodari; nam absolute respondet Pontifex, quod is, qui sic deliquit, ad superiores ordines promoveri non valebit, ubi non dicit: Post sententiam latam; neque requirit, quod a superiori privetur ea potestate, sed ipsemet per illam legem privat ipsum, et inhabilem seu impeditum reddit, et hoc ipsum est irregularitatem imponere, ipso facto incurrendam.

9. *Dubium tertium.* — *Quando publica est rebaptizatio.* — Tertium tamen, et difficilissimum dubium circa hoc est, an hæc irregularitas incurritur propter baptismationem, solum quando delictum est publicum, an vero etiam quando est occultum. Et ratio dubitandi est, quia Pontifex sub hac distinctione respondet di-

cens: *Ad superiores ordines promoveri, si publicum est, quod proponitur, non valebit; si vero occultum est, promoveri poterit;* ergo quando hoc crimen est occultum, non incurritur irregularitas. In hac re Scotus, in 4, d. 6, quæst. 8, dicit, utroque modo incurri hanc irregularitatem, et textum illum hoc modo exponit, quod, quando crimen est publicum, nullo modo potest quis ad superiores ordines promoveri, sine dispensatione Pontificis; quando vero est occultum, licet irregularitas contrahatur, tamen Episcopus potest delinquentem promovere ad superiores ordines, cum illo dispensando. Sed hæc sententia non habet fundamentum in textu, quia, quando crimen est occultum, nullam superioris dispensationem requirit, sed absolute dicit, *promoveri poterit*, quod non est limitandum, addita conditione, scilicet ex dispensatione Episcopi, præsertim quia priora verba, quæ pœnam publici criminis continent, scilicet, *promoveri non valebit*, absolute intelligenda esse diximus, nulla expectata iudicis sententia, vel declaratione; ergo multo magis posteriora verba, quæ continent favorem, intelligenda sunt absolute, nulla requisita dispensatione, præsertim cum favores sint ampliandi, et odia restringenda. Unde Panorm., ibi, notabil. 2, expresse dicit, nullam in hoc crimine occulto requiri dispensationem, quia per illud revera non contrahitur hæc irregularitas. Et hanc opinionem sequuntur communiter juris interpretes; et Sylvester, verbo Irregularitas, num. 4. Sunt autem, qui dicant, hanc distinctionem de crimine publico et occulto solum habere locum in acolyto cooperante; non vero in ministro rebaptizante, quia textus solum de priori loquitur. Unde Soto in 4, d. 3, art. 9, in fine, significat, sive publicum, sive occultum sit hoc delictum, ratione illius contrahi irregularitatem; et contra Scotum addit, in neutro casu posse per Episcopum, sed per solum Papam dispensari, citans Sylvestrum, verbo Baptismus, 5, § 3, ubi tantum in communi loquitur. Ad textum autem prædictum Soto nihil respondet. Unde videtur tacite prædictam distinctionem admittere; quæ mihi probari nullo modo potest, quia hæc irregularitas non est alibi in jure expressa, nisi in illo textu, neque in illo distincte traditur de rebaptizante, sed solum de acolyto ministrante, et sub illo intelligimus etiam personam rebaptizantem; ergo sub eadem distinctione et limitatione exponenda est, quia nullum est in jure fundamentum ad aliam ex-

tensionem in una persona potius, quam in alia faciendam. Quocirca rationes factæ revera convincunt, quantum ex jure colligi potest, non esse impositam hanc irregularitatem rebaptizanti, nisi quando crimen ejus est publicum. An vero propter communem et receptam sententiam dicendum sit, etiam incurri per crimen occultum, aliis iudicandum relinquo, quia in re morali nollem a recepta sententia discrepare, præsertim quia fortasse fieri potest, ut communi usu sit hæc pœna ita introducta, seu lex illa ita declarata. In irregularitate autem, quam contrahit acolytus, habet locum sine ullo scrupulo distinctio prædicta. Non possumus autem hoc loco immorari in explicando quid requiratur ad crimen publicum, vel occultum, quoniam esset a præsentem instituto alienum, et de ea re dicturi sumus inferius in parte morali de Eucharistia; videri etiam potest Navarr., in Sum., cap. 27, num. 253. Atque hinc obiter sequitur, in hac irregularitate acolyti neminem præter Summum Pontificem posse dispensare, quia per delictum occultum non contrahitur; quando vero delictum est publicum, omnes fatentur ad Summum Pontificem pertinere potestatem dispensandi. Et idem est de irregularitate rebaptizantis publice; de occulte vero rebaptizante, supponendo, quod irregularis fiat, ait Scotus, per Episcopum posse dispensari; tamen hoc nullo antiquo jure probari potest, ut ex dictis constat; jure autem novo Concil. Trident., sess. 24, cap. 6, est res certa.

10. *Dubium quartum.* — *Rebaptizans sine intentione non fit irregularis.* — Quarto inquiri potest, an is, qui exterius rebaptizat, sine interna intentione conficiendi sacramentum, hanc irregularitatem contrahat. Et ratio dubitandi esse potest, quia præcepta ecclesiastica cadunt in actus externos, et eosdem punit Ecclesia, nam de interioribus nihil iudicat; sed ille exterius rebaptizat; ergo contrahit pœnam rebaptizantibus injunctam. Nihilominus dicendum est, in foro quidem exteriori illum præsumi irregularem, hocque satis probari ratione facta; tamen revera coram Deo non contrahere irregularitatem propter tale crimen, et consequenter si aliqua via Ecclesiæ constare posset de tali intentione, etiam in foro exteriori non debere huiusmodi hominem iudicari irregularem, sed posse alia pœna puniri. Hanc opinionem indicat Navarr., in Sum., cap. 27, n. 246, in fin., in illis verbis: Quia intentio eorum non